

DE LEGIBUS TRACTATUM,

QUEM SCRIBEBAT

V. EGGL. DOCTOR S. THOMAS AQUINAS

IN PRIMA SECUNDÆ THEOLOGICÆ SUMMÆ,

SELECTIS POSITIONIBUS

HIC , ET ILLIC PRO RE NATA DISPERSIS , ILLUSTRATUM,

PRÆSIDE

R.A.P. Fr. FRANCISCO NEGARRA, SAC. THEOL. MAG.

*AC IN REG. CONV. DOMINICANOR. CÆSARAUGUSTANO
STUDIIS PRÆFECTO,*

FR. VINCENTIUS MIGUEL,

IN VALENTINO EIUSDEM FAMILIÆ COENOBIO PRINCIPE

SACRÆ SCRIPTURÆ PROFESSOR,

IN GENERALIBUS COMITIIS , ORDINIS S. P. DOMINICI

PUBLICO OFFERT CERTAMINI

PRO ARAGONIAE PROVINCIA

CÆSARAUGUSTÆ

IN REGIO PRÆDICATORUM TEMPLO

DIE XI. JUNII ANN. MDCCCXXXII.

HORA III. POMERIDIANA.

Es del Convento y Colegio de N.P. Sto Domingo de Laguna.



VALENTIÆ EDETANORUM:

In Officina Jacobi Martinez, ad Collegium Corporis Christi.

SUPERIORUM PERMISSU.

Is , ut in omnibus aliis , quæ ad Moralis Philosophiæ cognitionem pertinent , adeo semper fuit diligens explorator veritatis , ut nihil abditum , nihil remotum , nihil obscurum esse perisserit ; sed omnia exposita , prompta , ipsa denique luce clariora fecerit. Huic uni in Sapientiæ studiis plus debeo , quam infinitis Jurisperitorum verbosis commentariis : nude , breviterque veritatem exponit ; et omissa inani auctorum , opinionumque citatione , solida via incedit , rationibusque invictis , per omnes adversitatis viam sibi aliisque sternens.... Nolui D. Thomæ nomen subticere.... tum ut mea augusto eius nomine magis probentur ; tum ut omnes adhorter ad Virum illum cognoscendum , qui non magis Theologis quam Jurisperitis est necessarius ; qui si eum legissent , intellexissentque , i Deus bone ! quantum ignorantiae , quantumque turpis erroris é libris suis , atque animis eximere potuissent !

Franciscus Vargas. De Episcop. jurisdict. et Pontif. Max. auctor. confir. 2.

AD TRACTATUM DE LEGIBUS

PROLEGOMENON.

Nihil frequentius apud Protestantes Scriptores Hugonis Grotii ætatem secutos, quam ut iuris naturæ scientiam apud suos exortam fuisse, exultam, amplificatam præseferant; contra vero apud Catholicos, aut nullam fuisse, atque adeo esse, aut in Theologorum *vastis ac barbaris voluminibus* (ita quippe Christianus Thomasius loquitur), tamquam in luto iacere, nullis utilijs quæstionum momentis, nulla forma, dilucidaque methodo pertractatam. Scholastici Doctores, ait Buddæus, (Isag. Hist. Theolog. lib. 1 cap. 4.) lumen rationis, et omnino Philosophiam Aristotelicam cum lumine revelationis coniunxerunt, turpiter cuncta inter se miscentes, et variis erroribus Jurisprudentiam Divinam contaminantes. Similia habet Puffendorfius (Præf. op. de iur. nat. et gent.) Ii Doctores, inquit, qui in Episcopi Romani verba iurarunt, queis omnia ad potentiam et quæstum Sacerdotum vertere labor est (; quanto livore hæc verba scatent!) legi naturali, et universæ de moribus doctrinæ magnam caliginem offudere. *¶* Unde vero tanta caligo? Quia scilicet legis naturæ principia ad solidissima Sacrarum litterarum lumina revocant. Hinc in regno tenebrarum illos versari affirmat, et illorum facile principem D. Thomam nominatim iniuriis lacerat. Nec dissimilia sunt, quæ cæteri ferme L. N. Scriptores heterodoxi de Catholicis impudentissime scribunt, ut sine stomacho legi nequeant.

Verum ferenda utcumque esset hæc eorum audacia, ni SS. Ecclesiæ PP. iniurii, et iniquissimi extitissent. At in eos indigna passim convicia impotenti furore eructant. Barbeyracius à primis Ecclesiæ sæculis ad Scholasticorum tempora, plerosque PP. saltem auctoritate præcipuos carpit, et quasi iuris naturæ ignaros pariter irridet. Thomasius, (Hist. iur. nat. cap. 3.) post Apostolorum mortem, ait, Christi Ecclesiam extinctam iacuisse usque ad Lutherum, (risum teneatis?) et PP. universos exagitat, ut qui in morali doctrina parum, aut nihil sciverint, immo varia noxia, erronea, iuri naturæ adversantia dogmata disseminaverint. Scilicet liberanda veritas (ut de Marcione aiebat Tertullianus), Lutherum, et Calvinum, similesve humani generis pestes, expectabat. Cæterum, qui hæc incautius legunt, parum aberunt, quin dubitent, steteritne Christus promissis, quibus sese Ecclesiæ suæ sempiterno fœdere devinxit. *¶* Verum quale hoc tandem est, ut Pastores, et Doctores in opus ministerii promissos (ad Ephes. 4.) dederit Ecclesiæ Christus, in scientia autem naturæ iuris, hoc est, dirigendis moribus maxime necessaria non providerit? Itaque, ut huiuscmodi voces falsitatis, et periculi plenæ (quas Juniores facile sorbent, credulitatis potius errore capti, quam culpa), non ita facile, quantum in nobis est, invalescant, placent in opusculi huius vestibulo inanem Protestantium iactantiam retundere, atque Catholicos Doctores *ab illorum imposturis vindicare*. Quod per sequentes propositiones præstabimus.

1. Licet omnia, quæ ad ius humanum positivum spectant, quæstionesque plurimæ, quæ circa ipsius præceptiones agitari solent, in PP. libris non inveniantur; quæ tamen ad iuris naturalis, ac Divini positivi intelligentiam pertinent, luculenter in illis, et sine errore evoluta deprehenduntur. Unde ex illorum lectione plurimum in iuris doctrina quisque proficiet.

2. In iuris principiis exponendis, eiusque penitioribus arcanis reserandis, nobiles quidam e Schola Theologi excelluere: inter quos Angelicus Scholarum Princeps, Ecclesiæque Doctor Thomas Aquinas, velut inter ignes Luna minores, effulget.

3. Non superfluum, et intempestivum, sed omnino oportunum, atque adeo necessarium revelationis præsidium est, ad iuris difficiliores præceptiones interpretandas. Ignoranter igitur, et iniuste ad heterodoxis vapulant Catholici Doctores, quod in iuris scientiæ administriculum Sacrarum litterarum advocent testimonia.

4. Juniores præcipui e Protestantium grege scriptores, qui tamquam oracula in iuris scientia venditantur, tantum abest, ut naturalem iurisprudentiam restituerint, quin potius, absurdissimis eam commentis, turpissimisque erroribus deturpaverint.

5. Coroll. Atque hinc illud facili quiske negotio colliget, ius naturæ, et gentium, non apud Wolfium, Puffendorfium, Heinecium, cæterosque Protestantium Juristarum primipilos, sed apud Catholicos Auctores addisci oportere.

DE LEGIBUS GENERATIM.

De Legis natura.

1. Si lex presse secundum suam metaphysicam notionem consideretur, actus intellectus est, non voluntatis. Cæterum ni istius motus præcedat, reipsa ab illo non producitur; unde in ferenda lege voluntatis etiam suæ sunt partes.

2. De ratione est, ut communitati, eidemque perfectæ indicatur; atque in illius bonum ita conspiret, ut non pro privato alicuius commodo, sed pro communi utilitate lata censeatur.

3. Coroll. Fœda proinde, æque ac perniciosa illorum sententia est, qui existimant Reges ac Principes ita esse subditorum suorum dominos, ut bona eorumdem pro lubitu usurpare possint, legesque ferre ad sui dumtaxat utilitatem ordinatas.

4. Commune bonum excellentioris ordinis, quod lex una intendit, alia non debet lege destrui propter bonum minus excellens: unde præsentis vitæ felicitas cum futuræ beatitudinis detimento nulla lege quæri potest.

5. Coroll. Hinc turpiter hallucinari constat auctorem *Spiritus le-*

gum, sibique manifeste contradicere, dum leges, quibus ad societatem homo instituitur, Religioni quantumvis falsæ consentaneas esse oportere affirmat; simulque Christiana Religione commune huius vi-tæ bonum promoveri tradit.

6. Non à quocumque Communitatis membro condi leges possunt, nec ab iis, qui emendicata auctoritate pollent; sed ab iis tan-tum, qui Reipublicæ cum nativa potestate, et iurisdictione præsunt.

7. Ut lex vim obtineat obligandi, omnino eam promulgari ne-cessere est: hæc autem promulgatio pro legum diversitate diversa ipsa quoque est, nec eodem modo completur.

8. Ut vera legis habeatur promulgatio, necesse haud est, quod lex singulis indicatur, sed satis, ut ea publica sit, et in illorum possit notitiam devenire, qui legem servare tenentur.

9. Coroll. A Legislatoris arbitrio pendet, ut lex vel in sola Metropoli, vel etiam in singulis Provinciis promulgetur. Non erat ergo, cur variam hac in parte consuetudinem Ecclesiæ Wan-Espenius reprehenderet.

10. Ad legis promulgationem obligatio consequitur in subditis eam servandi, semel ac eam noverint.

11. Coroll. Quovis tandem pacto impediatur promulgatio legis auctoritate cuiusdam potestatis, quæ non est superior legislativa, quatenus leges sancit, tunc qui impedienti potestati subdunt, legi obtemperare debent, quam pro se quoque noverint alibi promul-gatam.

12. Coroll. Ex his quæ hactenus constituimus proclive est colli-gere cum D. Thoma definitionem legis, quæ nihil aliud est, quam practicæ rationis ordinatio quædam ad bonum commune, ab eo, qui Communitatis curam gerit, promulgata.

De effectu, actibus, et sanctione legis.

1. Id legi insitum est, ut vel causaliter, vel dispositive subie-ctos in propriam ipsorum virtutem inducat. Hinc in iis, qui legis præcepta servant, aliquis semper ordo producitur, qui tamen non unus idemque est, sed versus iuxta legum diversitatem.

2. Quatuor recensentur legis actus, nempe; præcipere, veta-re, permittere, ac punire; quorum tres primi haudquam singu-lis legibus convenient; postremus, omnibus quodammodo; universi, cuiusvis speciei legibus.

3. Tametsi legum sanctio tum promissioni præmiorum, tum pœ-narum comminationi inniti queat, id tamen est Legumlatoris pro-prium, indicere, atque infligere pœnam his, qui legem transgressi fuerint, non vero præmium promittere, et retribuere aliis, qui eamdem servaverint.

4. Legitima ferendarum legum potestas, ita coercendi vim sibi adnexam habet, ut quamvis nullum huius exterius argumentum pro-

dat, cum illius tamen munere indissolubili semper fœdere societur.

5. Quamvis legis sanctio in pœnarum comminatione sit potissimum constituta, in ea tamen non omnes leges vim suam æquali ratione promunt.

6. Eo errore Lutherus, quo pœnarum timorem, quid malum esse affirmat, vel omnem Legumlatoribus facultatem comminandi pœnas aufert, vel illius facit eos peccati auctores, quod iuxta ipsum subditi committunt, illas reformidando.

De Lege æterna.

Lis semel constitutis, quæ ad legem generatim inspectam attinere visa sunt, de singulis nunc legibus disceptare doctrinæ ordo postulat. Quadruplicis porro generis leges recensentur: alia æterna est, alia naturalis; alia Divina positiva, quæ in veterem, et novam tribuitur; humana alia, et hæc etiam duplex: altera Ecclesiastica, civilis altera. Ab æterna autem auspicamur, quæ totius Legislationis caput, et norma est, à qua cæteræ quæcumque veri nominis leges proficiscuntur. Atque ut Tullii verbis utar; (lib. 1. de leg.) „Constituendi vero iuris, ab illa summa lege capiamus exordium, quæ sæculis omnibus ante nata est, quam scripta lex ulla, aut quam omnino Civitas constituta.” Ad rem.

1. Lex æterna nihil est aliud, quam summa, et incommutabilis ratio Divinæ Sapientiæ, prout est cunctarum actionum, motionumque in commune totius Universi bonum directiva.

2. Supremo hæc ratio, neque hominum ingenii excogitata, (ut inepte, et impie Thomasius garrit), neque scitum aliquid populorum est, sed cum in Deo tamquam in Principe totius Universitatis existit, tum veræ legis rationem habet, licet ab æterno, quibus indiceretur, non extiterint creaturæ.

3. Legem æternam, prout est in se ipsa, sive in Deo, nullus hominum in mortali hac vita cognoscit, sed nec cognoscere potis est; ex aliis tamen legibus aliqualem eius homines notitiam hauriunt, non omnes licet pari forma. Hinc prout in mente Divina existit non obligat, sed per alias leges.

4. Cæteræ quæcumque leges, quatenus iustæ, et honestæ sunt, atque adeo propriè legis rationem sortiuntur, à lege æterna derivantur.

5. Omnia, quæ sunt in rebus à Deo creatis, sive contingentia ea sint, sive necessaria, æternæ legi subiiciuntur; non vero quæ ad Divinam essentiam pertinent, neque Divina voluntas, etiamsi ea spectetur, quatenus vult, quæ ad creaturas referuntur.

6. Cum homines, præter id quod cum cæteris creaturis communione habent, cognitione, et libertate gaudeant, peculiari modo æternæ legis imperio subiacent; scilicet, nedum ut directiva est, verum etiam ut obligatoria, atque adeo, præceptiva, vel prohibitiva.

7. Duplici interiori principio, scilicet, cognoscendi vi, et naturali ad bonum inclinatione de sua ad legem æternam subiectione

agens rationale monetur: atque duplex hocce principium aliquando minuitur in hominibus, quandoque incrementum acquirit.

De Lege naturæ.

1. **I**nditam nobis esse naturæ legem, intimus animi sensus, et grave ipsius conscientiæ pondus, tum illæ quibus trahimur inclinationes, iudicia quoque nostra luculentissime demonstrant.

2. Legis æternæ in mente hominis per participationem incommutabilis rationis Divinæ facta transcriptio, dictans, et præscribens, quid prout homo facere, quid vitare debeat, est ipsa lex naturalis, quæ adeo in lege æterna primario inest, tum in naturali iudicio rationis, tamquam in proximo principio.

2. Hæc æternæ suæ legis ab ipso Deo nobis insita participatio, tametsi fixa, et permanens in mente nostra, non tamen est habitus, neque potentia, neque actus, si presse loquamur.

4. Bonum esse faciendum, vitandum vero malum, prout hominis conditio postulat, primum est fundamentum, seu universalissimum totius legis naturæ principium, à quo cætera quæque proflunt naturalia præcepta.

Nota. En igitur luculentissime ab Angelico Doctore traditum principium iuris naturalis cognoscendi, de quo tam multa, et obscura, et noxia Protestantes Juristæ comminiscuntur, apud quos (inquit eorum unus Samuel Cocceius), tot fere extant cognoscendi principia seu regulæ, quot Scribentium capita: neque vero aliud eo nomine intelligunt, quam propositionem sub qua, et ex qua reliqua præcepta comprehendantur, et fluant.

5. Ea, ad quæ homo naturali vi fertur, ratio naturalis apprehendit ut suo modo bona, sibique convenientia, proindeque, et ope re prosequenda: contraria autem, ut mala, adeoque vitanda.

6. Itaque secundum ordinem naturalium hominis inclinationem in bonum, exponi generatim potest ordo, ratioque præceptorum legis naturæ, quæ in primo illo, et communissimo principio continentur, ex quibus ad ea, quæ prosequenda sunt, movemur, et adversa fugienda.

7. Vitam conservandam, eaque vitanda, quæ illius conservatio ni officiunt, primum est iuris naturæ præceptum naturali inclinatio ni omnium primæ de custodia sui respondens. Atque hinc temperan tiæ, fortitudinis &c. varia præcepta.

8. Verum enim vero, cum depravato modo in nobis sit propensi o hæc, conformatioque naturæ, ita est rationis iudicio temperanda, ut animi utilitas corporis utilitati congrua ratione præferatur; tum futuri sæculi vitam præsenti anteponendam animadverti oportet; quid Divina lege hac in re præscriptum, quid consilii loco propositum habeamus; quæ tandem sint Ecclesiastica lege sancita.

9. Humanam speciem esse conservandam, alterum est naturæ præceptum, quod naturali propensioni respondet sibi simile generandi: ex quo cætera omnia legis naturæ iussa fluunt, quæ cum no-

stri conservatione generis aliquo modo connectuntur.

10. Praeceptum hocce non singulis hominibus imponitur, sed toti multitudini: adeoque ex eo omnes generationi dare operam oportere, falso quidam inferunt. (Apolog. Spir. legum.)

11. Naturæ legi adversatur memoratæ modo inclinationi quavis ratione indulgere; explorandum diligenter est, quid illi Divina lex præscribat, qui propriæ speciei conservationem curat, quid etiam consulat; quid demum leges habeant, quæ de coniugio sunt humana auctoritate legitime constitutæ.

12. Tertio tandem inest homini inclinatio, qua ducitur ad agendum singulariter, prout rationali naturæ congruit, ut ad veritatem de Deo cognoscendam, societatemque cum aliis ineundam: atque hinc Religio, pietas, iustitia cæteraque id genus præcepta manant, quæ erga Deum nos atque alios officia moderantur.

13. Illud est diligentissime advertendum, ne in iis officiis quibus Deum nos, aliosque respicimus, ratio inferior contra superiorem prævaleat: atque in illis mentem nostram æternæ legi subiici debere.

14. Et quoniam hæc dupli nobis via sese prodit, in ipsa scilicet ratione, tum in iis, quæ Deus revelavit, illud etiam maneat alta mente repositum, in triplici illo officiorum genere subdi nos magis opus esse æternæ legi, quæ media revelatione, quam quæ per rationis lumen innotescit.

15. Si virtutum officia secundum genericam virtutis rationem consideres, quatenus, scilicet, sunt ad rationis regulas exigenda, si fiant, omnia equidem ad legem naturæ spectant: si vero illa inspexevis, prout in propriis speciebus sunt constituta, non omnia naturæ lege præscribuntur.

16. Naturæ lex, quoad prima, et universalia principia, eadem apud omnes est, et secundum rectitudinem, et secundum notitiam; præceptorum quæ primis illis proxime cohærent, si absolute inspiciantur, eadem etiam est veritas apud omnes, et æqualiter nota; sed conclusionum, quæ longo, nec facili discursu ex communissimis principiis derivantur, nec eadem veritas apud omnes est, nec apud quos est eadem, est æqualiter nota.

17. Si de formalí, seu veri nominis mutatione loquamur, invariabilis semper, et immota consistit naturæ lex. Per additionem mutari nihil prohibet. Per materiæ, (ut aiunt) subtractionem quoad prima principia similiter sibi constat; in secundariis autem præceptis, licet plerumque sit mutationis expers, in paucioribus tamen, mutationem aliquando subire valet.

18. Quoad communissima præcepta obscurari non potest naturæ lex, ut homini vel scelestissimo non subluceat; deletur tamen quoad illa pronuntiata, quæ prioribus illis, quasi conclusiones proxime adnectuntur, ob pravam tum institutionis, tum agendæ vitæ rationem.

COROLLARIA.

1. Quorundam veterum errorem postremis hisce temporibus renovarunt Spinosa, Hobbesius, aliquique impii apud se non recte cogi-

tantes, qui nihil natura sua honestum vel turpe, nihil iustum, aut iniustum docuere. Hinc et illa Rousoii fabella manavit, qui homines in naturali statu silvestres, et belluinos comminiscitur, sine domo, sine connubiis, sine ulla honestatis idea, sine ulla prorsus lege per silvas et antra, pecudum more palantes. Horrenda hæc opinorum monstra, quibus firmissima disciplinæ moralis, Religionis, societasque fundamenta concutiuntur, et sua ipsa absurditate concidunt, et ex iis, quæ de nobis indita naturæ lege diximus, profligantur.

2. Atque recentium Juristarum ex iis quæ hactenus constitui-
mus, exploditur etiam extitallissimus error, qui naturalem hominis
statum, à civili seu politico veluti diversas plane res, et oppositas
secernunt; tum absurdissima nescio quæ hominis, et civis iura, et
officia falsissimo huic fundamento superaedificant. Quot ex nefaria
eiusmodi doctrina, velut ex equo Troiano, in totam, qua late patet,
hominum rempublicam irruperint clades, lachrymis potius est, quam
verbis exprimendum.

3. Cum id omne in se contineat naturæ lex, quod ad veræ legis
rationem attinet, nihil absurdius dici, aut excogitari potest, quam
consilii eam loco habendam esse, ut Thomasius, et Heischerius,
ineptissime simul, et perniciosissime garriunt. Itaque illi in omni
eventu vis inest obligandi, quæ non in metu mali, nec in spe boni,
neque in nostri utilitate, sed in conscientia nostra, tum potissimum
in Deo illam infundente reponenda est.

4. Ex iis, quæ de legis naturæ perspicuitate quoad prima commu-
nissima principia, hisque necessario, et evidenti nexu coniuncta
præcepta, cum D. Thoma disseruimus, illa sponte manat consecuti,
nullam de iis ignorantem prorsus invincibilem accidere posse. An
vero de quibusdam consequentiis à principiis longe dissitis dari queat
inculpabilis, adeoque invincibilis ignorantia? Abstrussa sane, et un-
dique salebrosa quaestio est, sed tamen affirmatione dirimenda.

De Lege humana.

1. **E**a est hominis indoles, ea quoque communis, civilisque
corporis ratio, quod in societatem coacti homines constituunt, ut
leges necessario postulet, quibus regi, et gubernari valeant.

2. Duplex hæc sit lex necesse est; una, quæ præsentis, altera,
quæ futuræ vitæ commune bonum respiciat: nec mutuo sibi adver-
santur, sed *alterius altera poscit opem, et coniurat amice.*

3. Quæ sæculi huius beatitatem intendunt leges, à lege sunt na-
turali deducendæ; ex illis autem quædam ab istius præceptis, sicut
à suis principiis derivantur; aliæ ab iis profluunt, quatenus sin-
gulariter determinant, quod ab illis generatim constitutum est.

4. Nihil equidem naturali legi contrarium illæ continere leges
debent, quæ sempiternæ hominum saluti invigilant; quia vero hæc
res quædam est supra naturam altius assurgens, sunt illæ potissi-
mum à principiis supernaturalis ordinis eliciendæ.

5. Convenientissime in conditione legis tria posuit Isidorus;

(lib. Etymol. 5. cap. 1. et 21.), nimirum, quod Religioni congruat; disciplinæ conveniat, saluti proficiat.

6. Quia unumquodque dividii per se potest iuxta ea quæ ad ipsius aliquo modo rationem pertinent: cum plura de legis humanæ ratione sint, ex quolibet eorum proprias Ang. Doctor cum Isidoro desumit legis humanæ divisiones, quas libenter si quis petierit, explicabimus.

COROLLARIUM.

7. Tamquam falsam, impiam, et ipsi publico bono nocivam ex dictis liquet esse reiiciendam Machiavelli, aliorumque nostri ævi pseudo-politicorum doctrinam, qui leges athéas esse debere prædicant, id est, pacem utilitatemque Reipublicæ procurandam à Principe, nulla naturalis honestatis, vel veræ Christi Religionis habitatione, immo vero cum ipsius detimento.

De Potestate legis humanæ.

1. **H**umana lex in communi statui debet; sic nimirum, ut personas, negotia, tempora generatim respiciat; non vero ad singulas personarum, negotiorum, temporumque privatas circunstantias restringatur.

2. Leges humanæ non omnia debent mala cohibere, sed ea, quæ magis communia sunt, tum quæ in Reipublicæ perturbationem vergunt.

3. Sed neque ad illam spectat omnium virtutum exercitationem præcipere, sed earum potissimum, quæ Communitati vere sunt moraliter possibles, eiusdemque bono magis prossunt.

4. Nullum tamen vitium est, quod lex humana non prohibere; nulla virtus, quam non præcipere valeat.

5. Ea lex, quæ in rerum humanarum, earumque temporalium administratione versatur, actus mere internos nullo modo complectitur: illius autem imperio subsunt exteriores actus, quamvis omnino occulti sint, atque etiam interni, prout cum exterioribus coniunguntur.

6. Legis undequaque iustæ, ex conditore, nempe, ex forma, ex fine, ea vis est, ut in interiori conscientiæ foro obstringat; si vero sit ex quocumque capite iniusta, non lex, sed violentia quedam est, quæ non, nisi forte aliquando per accidens, obligat.

7. Quicumque alicui potestati subduntur, legibus quoque subiiciuntur á tali potestate latis. Qui autem sunt ab hac subiectione absoluti, nec eiusdem legibus adstringuntur.

8. Subditis haud licet præter verba legis agere, ni eius observatio luculenter communi inferat utilitati nocumentum. Quid vero, si dubium sit? Si res tunc moram patiatur, consulendus legislator, nihilque interea contra legem agendum: si tempus non suppetat, quæ verba legis præcipiunt, teneantur: sin vero satis appareat, quid le-

gifer si adesset, hic et nunc fieri vellet, fas littera legis neglecta, agere iuxta illius intentionem verisimiliter præsumptam.

AD PRÆCED. QUÆST. DISSERT.

1. Iis, qui civilem vel temporalem Rempublicam administrant, potestas inest condendarum legum, quæ subditorum conscientias obstringant, quin populi ad id acceptatio requiratur: adeoque illius consensu inexpectato suas condere, et promulgare leges valent, pœnisque adigere ad eas suscipiendas multitudinem sibi subiectam.

2. Potestas hæc legislatoria, tum civilis, tum Ecclesiastica, à fide est, et moribus independens; proindeque Principes, etsi infideles, et hæretici fuerint, vel in alio aliquo mortali peccato existant, facultatem retinent legislativam.

3. Quæ politicæ Communitatis Rectoribus sanciendi leges facultas inest, non à commentitiis pactis cœpit exordium, sed à Deo naturæ auctore proficiscitur.

4. Cum ius, et obligatio relativa sint, illius quoque obligationis ratio, qua politica societas legibus sui Principis parere debet, non pœnarum timori, nec propriæ utilitati, vel solo veteris, aut Evangelicæ legis præcepto tamquam fundamento innititur, sed in iure etiam naturali est alte reposita.

5. In quibus resideat hæc ferendi leges civiles potestas, attenta regiminum diversitate definiendum est. Si Monarchicum illud sit in Imperatore, Rege, vel Principe absoluto, suprema illa facultas residet; si Aristocraticum, tota, et integra in Optimatibus; si Democraticum, in populi communitate invenitur iuxta formam ab ipso constitutam.

6. Ut de iis, quibus ferendi canonicas leges facultas adest, tantisper dicamus, hæc accipito: Romanis Pontificibus supremam à Christo Domino collatam fuisse potestatem in universam qua late patet Ecclesiam leges dicendi, res est ex Sacris litteris, et perenni traditione luculentissime comprobata.

7. Idem de OEcumenicis Conciliis esto iudicium, quibus supremi totius Ecclesiæ moderatoris accesserit confirmatio. Si vero hæc abscedat, nec rata, nec firma erunt Conciliaria decreta.

8. Sed et Episcopis leges ferendi pro suis respective Diœcesibus facultas adest, à Christo Domino immediate quidem accepta, sed Romano Pontifici subordinata, qui errantes, aut sua potestate abutentes Episcopos corrigere valet, eorumque statuta Ecclesiæ bono dissentanea abrogare.

9. Utraque legislatoria potestas, et Ecclesiastica, et politica, summa unaquæque in suo ordine, et ab altera independens est, suaque habet confinia, quæ prætergredi neutri fas est, ne utriusque iura turbentur, omnisque amoveatur confusio, et perturbatæ iurisdictionis quærela. Quibusnam igitur limitibus contineantur accurate dispiciendum. Itaque

10. Utriusque potestatis termini, qui sint, definiendum, non quatenus interiores, vel exteriores res sint, circa quæ versantur, nec

ex influxu quem in utriusque regimen habere illæ queant; sed ex fine spirituali, vel temporali ad quem directe, et natura sua referuntur. Unde,

11. Principes sœculares nulla ferendi leges potestate gaudent, nisi de rebus temporalibus, et ad gubernationem politicam attinentibus: possunt tamen leges statuere ad Divinas, et Ecclesiasticas promovendas, non quasi Ecclesiæ iudices, sed tamquam defensores, ac vindices.

12. Antistites sacri non alia leges dicendi facultate potiuntur, quam de rebus spiritualibus, quæ ad Dei cultum, animarum salutem, Ecclesiæ regimen spectant: cætera, quæ ad intimas politici ministerii partes attinent, Principibus huius mundi discutienda, ac decernenda relinquunt.

13. Legibus ab utraque hac potestate latis eos non subiacere, qui iusti, spirituales, et perfecti sunt, hæreticum dogma est in Beguinis, et Beguardis à Vienensi Concilio, in Lutheranis, et Calvinistis à Synodo Tridentina meritissimo anathemate confixum.

14. Principes Christiani sœculares, in iis, quæ spiritualia, et divina sunt, atque animarum salutem respiciunt, non minus subiecti sunt legibus, et auctoritati sacrorum Pontificum, quam reliqui fideles.

15. Sacros Præsules, aliasque Ecclesiasticas personas, in iis, quæ laicæ potestatis propria sunt terrenis Principibus subiacere in quorum ditione versantur, (salva tamen immunitate) Sacræ litteræ docent, SS. PP. chorus concinit, naturæ ratio confirmat.

16. Si legis materies æque legislatori cæterisque conveniat subditis, ad legem suam tunc ille servandam tenetur quoad vim eius directivam, adeo ut eam transgredi citra peccatum nequeat: sin vero materia Principem, non item subditos dedecet, aliud esto iudicium.

17. Princeps, sub imperii maiestate tutus vi legis coercitivæ non subditur; unde non nisi à Deo solo pœnis adjici, si leges infringat, aut iudicium condemnationis in ipsum ferri valet.

Nota. Propositio hæc, quam ad litteram ex Ang. Doct. trascrisimus, illorum sententiam ab ima radice convellit, qui fas esse prouuntiant in tirandum Principem insurgere, solio detrudere, immo, et vita multicare. Unde, nonnisi per summam iniuriam, impudentiamque, tirannicidii vindices sanguinolentum istud dogma D. Thomæ adscripsere.

COROLLARIA.

1. Ut lex civilis vim suam exerat, necesse non est, ut generali voluntatem exprimat, liberisque populi suffragiis subiiciatur, ut Rousoii sectatores ad ravim usque seditiose deblaterant.

2. Doctrina, (cui tota *socialis pacti* machina superstruitur) quæ summum, essentiale, incomunicabile ius legislatorium soli populo tribuit, tamquam absurdæ, seditiosa, Apostolicæ sententiæ, dictisque Dominicis aperte contraria, toto corde, et ore diris devovenda.

3. Cum quæ Regibus legislatoria potestas inest , de sursum à totius naturæ legislatore descendat , id profecto consequitur , inquisimè eos *serviles* contumelioso nomine vocari , qui Reges tamquam Dei ministros honorificant , atque illorum observantissimi sunt.

4. In Regno Monarchico hæreditario , in quo summa imperii penes Regem est , leges , quibus stat Respublica , (fundamentales vocant) , et aliæ subinde in legitimis etiam sancitæ comitiis , supremæ potestatis iura coarctare nequeunt , sed id solum intendere , ut eius vel caveatur , vel corrigatur abusus.

5. Erronea , quin et hæretico spiritu plena censeri debet opinio Puffendorfii , aliorumque ex heterodoxis scriptoribus , qui contendunt Hierarchiam Ecclesiasticam , seu in sacra potestatem à civili imperio haud esse seiunctam , adeo ut huius rectoribus ius in omnia competit , quæ spiritualia sunt , nullaque et vana sit utriusque potestatis distinctio.

6. Errant omni procul dubio tam illi , qui maiestatem nescio quam realem commenti , populo coercendorum Regum potestatem faciunt , si qua in re atrocius delinquent , quam hi etiam , qui eam Ecclesiæ auctoritatem obtrudunt , ut non punire tantum Reges , verum Regnis etiam exuere , et liberare subditos possit nexus , quo Principibus suis adstringuntur.

7. Illos etiam à vero toto cœlo aberrare , constat , qui iurisdictionem , qua regitur Ecclesia , in universo fidelium cœtu sic repositam esse docent , ut clavum potestas primario , et essentialiter in Ecclesia sit , ministerialiter , et executive in Episcopis , et Romano Pontifice.

8. Sed nec illi recte de Ecclesiæ regimine sentiunt , qui Aristocratica illud forma contineri aiunt , supremam illius iurisdictionem in ordine Hyerarchico deposuisse Christum affirmantes.

9. Ea , quam Romano Episcopo asseruimus legislativa suprema potestas , ipsa etiam unius supremi capitilis ratio , quale in Ecclesia ii omnes recognoscunt , quotquot Catholico nomine censentur , evidenter ostendunt , istius regimen absolute Monarchicum esse , et Aristocraticæ cuiusvis contemperationis expers.

10. Excellentissima omnium , quæ in Ecclesia haberi potest Optimatum simul in unum coeuntium adunatio , quæ OEcumenicum Concilium audit , Pontificis Romani auctoritati subest , qui illud proinde , confirmandi iure potitur.

11. Schol. Atque id de confirmatione veri nominis intelligi volo non eo sensu , quo illam Bossuetius , et Nat. Alex. accipiunt ; in eo positam asserentes , ut per eam plana fiat consensio Apostolicæ Sedis Synodi decretis , ut ea promulget , executioni mandari iubeat , ipsem et exequatur.

12. Promissio illa , qua futurum affirmavit Christus , ut portæ inferi adversus Ecclesiam numquam prævalerent , Romanum primo Pontificem , deinde Ecclesiam respiciunt. Unde in iis , quæ fidei definitiones sunt , fallere ille , nec falli potest , dum ex Cathedra (ut inquit) pronunciat.

13. In fidei diffinitionem , non illa tantum referimus , quæ

S. Pontifices omnibus credenda , sed etiam , quæ servanda definiunt , imperantque : itidemque iudicia , quæ facta dogmatica respiunt.

14. Sedes Apostolica , Cathedra , et Ecclesia Romana , omnino idem sunt cum Romano Pontifice , si de fidei iudicio , decretoque loquamur : illa proinde distinctio ab his invecta theologis , qui Gallicanæ declarationis causam defendendam suscipiunt , ridicularium figmentum est , et sine mente sonus.

15. Semel , ac á Romano Episcopo quidquam ad fidem attinens habeatur diffinitum , dubitare nefas , utrum omnem diligentiam ante definitionem ille præmiserit.

16. Errant tandem , et vehementer errant , qui cum Montesquieu , (lib. 23. spir. leg.) in legibus á Constantino latis , Ecclesiasticæ iurisdictionis fundamenta collocant ; qui cum Febronio , Wan-Espenio , Cabalario , id falsis Isidori decretalibus tribuunt , ut Papæ Monarchiam crearint , Episcoporum ingenita iura minuerint , ius universum Ecclesiæ publicum misere perturbarint.

De Legis humanæ mutatione.

1. Lex humana , tum ex parte rationis ab imperfecto ad perfectum procedentis , tum ex parte hominum , quorum conditiones variari contingit , et mutabilis est , et iuste interdum mutatur.

2. Cum ex legum novitate aliquid semper respublica detrimenti capiat , haud facile leges humanæ mutandæ sunt , etsi melior , aut utilior nonnunquam occurrat ; sed tunc solummodo , cum vel maxima , eaque evidens utilitas , vel id urgens necessitas postularint.

3. Quod si tamen contingat , Principem , aliquam mutare legem communitatis adhuc bono utilem absque legitima causa , ipse quidem peccati reus foret , valida tamen legis mutatio censeretur.

4. Interpretatio , quæ sensus legis declaratio quædam est , atque in doctrinalem , authenticam , et usualem tribuitur , non ad arbitrium fieri debet , sed certis quibusdam regulis innitatur oportet , quas , pulsanti aperiemus.

5. Sola rationis similitudo non sufficit ut lex extendatur ad casus in ea minime comprehensos ; si vero non similis tantum , sed eadem prorsus sit , et adæquate quidem in omnibus , unius , et alterius casus non expressi , tunc in lege etiam istum comprehendendi , omnium fere Juristarum , Theologorumque natio consentit , quibus et nos subscribimus.

6. Si lex sit favorabilis , vel specialis aliqua dispositio iuris occurrat , extendenda est ad omnem nudum nativam , verum etiam civilem verborum significationem , adeoque et ad casus fictos fictione iuris ; nisi tamen aliud constet de mente legislatoris.

7. Fine adæquato legis universim sive contrarie , sive negative cessante , ipso facto lex desinit , nec ullam amplius obligationem patit . Cæterum si relate ad privatam solum modo personam ratio le-

gis negative deficiat , hæc , non minus ac reliquæ , ad legis adhuc observationem adstringitur.

8. Consuetudo , quæ ius est quoddam moribus institutum , vim habet novam inducendi legem , et veterem interpretandi , abrogandique , si conditionibus necessariis prædita sit.

9. Porro conditiones , quibus instructa consuetudo sit oportet , ut memorata modo officia exequatur , quinario numero censentur. 1. Publico debet bono prodesse. 2. Congruo eam tempore du-rasse opus est. 3. Frequentes , iisque liberi ac publici actus sint quibus inducatur. 4. Atque à populo fiant animo sese obligandi. 5. Consensus tandem Legislatoris illi accedat , necessum est.

10. Qui consuetudinem introducunt ab initio , et etiam in progressu , donec consuetudo præscripta sit , vel Principis consensione probata , plerumque legem transgrediuntur , et peccant.

11. Consuetudo deficit , et quando populus id non agere consuecit , quod ob receptam antea consuetudinem solebat , et potiori iure quando contra agere assuescit ac ipsa ferebat , aut legislator quidam contra ipsam statuat , decernatque.

12. Lege universalis singulares consuetudines non abrogantur , si id in legis promulgatione non caveatur , vel consuetudo illi non aduersetur ; sin vero hæc perinde ac lex universalis sit , abrogari censetur , quamvis in istius promulgatione nulla de consuetudine mentio fiat.

13. Non expedit invectas semel consuetudines fidei , et moribus non adversantes , quequæ iam à multo tempore invaluerunt abrogare , nisi maxima et evidens utilitas præsto sit , vel gravia inde incommoda consequantur.

14. Dispensationi etiam obnoxiae sunt humanæ leges , quæ nihil est aliud , quam iuris communis relaxatio quedam respectu alicuius , vel plurium personarum , in particulari casu , ex iusta causa facta ab habente legitimam potestatem.

15. Hæc porro dispensandi (sicut abrogandi , authenticeque interpretandi) facultas , his competit omnibus , qui legislatorio munere funguntur ; relate , scilicet , ad leges suas , sicut etiam prædecessorum suorum , itemque inferiorum in iurisdictione : nulli vero in superioris legibus , nisi ex illius id concessione licet.

16. Qui dispensationem in lege absque iusta causa impertitur , non fidelis dispensator , sed crudelis plane disipator est : et sic tributa dispensatio , tametsi in foro exteriori valida sit , à legis tamen vinculo , in conscientia , plerumque saltem non solvit.

17. Tunc in humanis legibus dispensandi iusta causa suppetit , cum ad id communis utilitas provocat , vel necessitas urget , vel charitas impellit ; ut Bernardus loquitur.

COROLLARIA.

1. In hæreditario Regno leges , quæ fundamentales audiunt , cum temporis præsertim diuturnitate , rerumque experimento earum fuerit utilitas comprobata , natura sua firmæ immutabilesque sunt.

2. Quamquam supremus Christianæ Ecclesiæ Pontifex amplissima polleat dispensandi facultate , cum in sacris canonibus , tum in reliquis quibuscumque Ecclesiasticis legibus ; nihilominus eiusmodi potestas suis limitibus coeretur. Illi ergo imprudenter , inepitque se gerunt , qui Pontificiam voluntatem , ceu unicam dispensationum regulam habendam esse pronunciant.

De Lege Divina positiva generatim.

1. Praeter legem naturalem , et humanam necesse fuit ad humanæ vitæ directionem , legem habere divinam quatuor de causis , quas innuit Regius vates inquiens : lex Domini immaculata , id est , nullam peccati turpitudinem ferens ; convertens animas , quia non solum exteriōres , verum etiam internos actus moderatur ; testimonium Domini fidele ; ob certitudinem veritatis , et rectitudinis : sapientiam præstans parvulis ; quatenus hominem ordinat ad supernaturalem felicitatem , quæ humanæ facultatis superat proportionem.

2. Lex Divina positiva eadem certitudine gaudet , qua lex naturalis spectata secundum se , et quoad prima generalia principia in quibus lex eadem consistit.

3. In præceptis , quæ ex lege naturæ colliguntur per applicationem principiorum communium ad particulares conclusiones , sequi potius debemus quæ lege divina , in sacris litteris nobis præcripta sunt , quam quæ per humanam rationem agnoscimus.

4. Cum de quibusdam humanis legibus dubitatio est , an iustæ sint , et honestæ , eas cum lege Divina conferre oportet ; et siquidem cum ipsa consentiant , aut saltem non adversentur , iustæ censendæ sunt ; secus , si quicquam iubeant , quod sit eidem contrarium.

5. Illorum tamquam oppido falsa sententia reiicienda est , qui eo extendunt virtutis obedientiæ humanis superioribus debita officium , ut doceant subditos parere debere in iis etiam , quæ ipsis cum lege seu præcepto Divino pugnare videntur.

6. Quamvis Deus , iuxta suæ voluntatis , atque sapientiæ consilium aliquid in remedium peccati ab hominibus faciendum iam ab exordio Mundi constituerit , alia quoque nonnulla vel omnibus , vel aliquibus servanda præceperit , de quibus naturali ratione constare non poterat , ante Moysen tamen lata à Deo non fuit lex aliqua positiva , quæ plura præcepta contineret , hominesque , aut aliquam hominum congregationem in singulari quodam vitæ genere conformaret. Duplex igitur tantum lex Divina positiva est , vetus , et nova.

De Legis veteri.

1. Lex vetus iusta , sancta et bona erat , sed imperfecta : spectata tamen temporis conditione perfectam iure optimo dixeris.

2. Lex vetus non à Diabolo , seu malo principio profecta est , ut

delirantibus Manichæis , et Marcionitis placuit , sed á vero Deo , qui est Pater Domini nostri Jesu Christi.

3. Sic Deus veterem legem instituit , ac tulit , ut nullius alterius legislatoris auctoritas intercesserit ; vimque propterea obligandi habuerit á solius Dei voluntate.

4. Ita Divina est veteris legis origo , ut omnia prorsus illius mandata usque ad finem Deuteronomii á Deo fuerint instituta , atque tradita : Moises nullius auctor extiterit , illis addiderit pro libito nihil , sed tantum promulgarit.

5. Num á Deo immediate , an Angelorum ministerio Moisi , et Hæbraico populo data lex fuerit , dissident inter se antiqui Ecclesiæ PP. Nos Augustini , quem Ang. D. sequitur , sententiæ , quæ illam ministrantibus Angelis latam á Deo fuisse asseverat , tamquam probabilius subscribimus.

6. Si de iustitiæ debito sermo sit , lex vetus dari non debuit Iudæorum genti ; si vero de condecentiæ , seu congruitatis debito loquamur , ei soli convenienter datam fuisse propugnamus. Hinc tamen personarum acceptorem fuisse Deum , ineptissime simul et impiissime quis cum Voltairio colligeret.

7. Sola Hebræorum natio ad veterem servandam legem tenebatur , quoad præcepta , quæ illam proprie constituunt. Sed quantum ad illa , quæ legem naturæ spectant , et in Decalogo continentur , nemo erat ab illorum obligatione immunis.

8. Tametsi Gentiles Mosaicæ legis vinculo haud tenerentur obstricti , illam tamen servare poterant ; et siquidem Judaico populo aggregari vellent , patebat aditus , legisque subinde observationi adstricti manebant.

9. Cur Moysis tempore Iex vetus data fuerit , si rationem exquiras , non aliam reddere fas est , si Deum spectes , præter inscrutabilem ipsius voluntatem ; si ad homines attenderis , congruæ afferri rationes possunt.

De præceptis veteris legis.

1. Omnia præcepta veteris legis unum sunt præceptum , secundum ordinem ad unum finem ; sunt vero multa , secundum diversitatem mediorum , quæ ad illum ordinantur.

2. In veteri lege moralia præcepta continebantur , idque tum ipsius legis , tum humanæ naturæ conditio requirebat.

3. Cum homines erga Deum institui recte debeant , non solum interius per mentis actus , verum etiam exterius per opera quædam , quibus suam erga Deum servitutem palam profiteantur , hinc , præcepta etiam cæremonialia in veteri lege præscripta fuere.

4. Præter modo memorata præcepta , quæ vel bonos mores respiciebant , vel externi cultus ritus ordinabant , iudicialia præcepta ab iis distincta , licet quoad aliquid convenientia , in veteri lege tradebantur , quibus hominum ad invicem ordinatio , seu humana politia disponebatur.

5. **Omnia veteris legis præcepta sub moralibus, cæremonialibus, et iudicialibus comprehenduntur; cætera vero, quæ in illo continentur, vel ad hæc revocantur, vel ad illorum observationem referuntur.**

6. **Lex vetus eis, qui sub ea degebant, tamquam pueri sub pedagogi disciplina, tum bonorum promissione, tum pœnarum temporalium comminatione, et recte quidem, ad præceptorum observationem inducebatur.**

7. **Qui in veteri lege ad eam servandam timore solum pœnarum adigebantur, ita ut pœnas quidem formidarent, peccatum nullo modo aversarentur, veri Dei cultores dici haud quaquam poterant.**

8. **Qui vero sic erant malorum timore affecti, ut ob eum quidem inducerentur ad legis servanda præcepta, sed exclusa voluntate peccandi in timore illo, ultimo non sistebant, Deum illi in veritate colebant.**

9. **Fuere in statu veteris legis, quos non occidebat littera iubens, sed vivificabat Spiritus iuvans, qui scilicet non ex pœnarum timore, sed amore iustitiae recte agerent: atque hi non iam ad veterem, sed novam legem pertinebant, sicut etiam modo ad illam pertinere dicendi sunt, qui ad servanda Dei mandata, vel promises, vel minis solum temporalibus permoventur.**

10. **In Pentatheuco nonnisi terrena felicitas apertissime promittitur; in cæteris autem libris veteris instrumenti, spiritualia quoque bona promittuntur, non ob legis observationem obtainenda, sed propter fidem in Jesum Christum.**

De moralibus præceptis veteris Legis.

1. **Omnia moralia præcepta in veteri lege præscripta, ad legem naturæ pertinent, diversimode tamen.**

2. **Lex Divina convenienter præcepta proponit de actibus omnium virtutum: ita tamen, quod illa sine quibus ordo virtutis, qui est ordo rationis, observari non potest, cadunt sub obligatione præcepti; quædam vero, quæ ad virtutis perfectionem attinent, cadunt sub admonitione consilii.**

3. **Omnia legis naturæ dictata, nec non præcepta omnia moralia veteris legis in Decalogo continentur, vel ad illum revocantur, diversimode tamen: quæ enim communia adeo sunt, et manifesta, ut nulla editione sive disciplina indigeant, in ipso delitescant sicut principia in conclusionibus; quæ vero ita difficiliora sunt, ut non nisi per sapientum diligentem inquisitionem inveniuntur esse recte rationi consentanea, in Decalogo continentur, tamquam conclusiones in principiis.**

4. **Præceptorum Decalogi ea videtur aptius tradita distinctio, quæ tria in ordine ad Deum enumerat, septem reliqua in ordine ad proximum.**

5. Quomodo decem præcepta in duabus fuerint Tabulis distributa, divinare vix possumus; probabilior tamen Augustini, et Thomæ sententia est, quæ iam inter Theologos communis evasit, talem fuisse partitionem, ut una tabula tria ad Dei cultum pertinentia contineret, altera, septem ad proximi dilectionem spectantia.

6. Cum legis Divinæ præcepta homines ordinent ad communiam quandam, sive Rempublicam sub Deo, ut quis autem in ea bene comoretur, hæc duo requirantur, ut recte se habeat erga illum, qui communitati præest, atque etiam erga alios socios et participes bene se gerat; hinc Decalogi præcepta congrue asserimus esse recensita.

7. Atque illa etiam convenientissimo sunt ordine numerata, non solum prout Deum, proximumque respiciunt, verum et gravitatis peccatorum, quæ cohibent, habita ratione.

8. Decalogi præcepta ita se habent, ut quædam negativa, affirmativa quædam sint; quorumdam assignetur ratio, non autem cæterorum, his præmiorum fuerint promissiones appositæ, illis pœnarum comminatio addita. Hæc autem omnia convenienti modo tradidit, qui in numero, pondere, et mensura cuncta fecit, Deus.

9. Decalogi præcepta, utpote Legislatoris Dei intentionem continentia, boni scilicet ultimi conservationem, ordinemque iustitiae inter homines observandæ, nullam omnino dispensationem excipiunt.

10. Modus virtutis, quoad scientiam operantis, quoad voluntatem item, et electionem, sub morali legis præcepto cadit; sed quantum ad firmitatem, immobilitatemque, legis imperio, iudicioque non subiacet.

11. Actus charitatis, ut actus quidam est per se, sub præcepto legis cadit, Dei, et proximi amorem præscribentis; ut vero est aliarum virtutum modus, extra legis imperium est.

12. Præcepta moralia superaddita Decalogo, tradita à Deo populo Judæorum per Moisen, et Aaron, ad præcepta Decalogi revocantur veluti quædam additiones ad ipsa.

13. Si iustificatio improprie accipiatur pro significatione gratiæ iustificantis, vel dispositione ad ipsam, utique moralibus præceptis vis inerat iustificandi; secus, si de veri nominis iustificacione loquamur.

IN ART. 4. DISSERT.

1. Præceptum de non faciendis sculptilibus non constituit aliud à primo distinctum: eo autem non omnis prorsus sculptura, atque imago vetita Judæis est, sed Idolorum tantum fuit eis usus interdictus.

2. Usus, et cultus imaginum Christi, atque Sanctorum, quin legi Dei aduersetur, est non minus Religioni consentaneus, quam utilis ad fidem, pietatemque, excitandas, nutriendas, roborandas.

3. Crucis imagines, sive pictæ illæ fuerint, seu quavis in materia exculptæ, iam inde ab eius Inventione apud Christianos maxima in veneratione sunt habitæ; nec immerito.

4. Coroll. Jure igitur optimo contra *indoctos*, et *instabiles* homunciones anathematismos intulit Nicænum Concilium 2.^m art. 7. dicens: Quicumque sententias S. Scripturæ de Idolis contra venerandas Imagines adducunt; anathema. Qui dicunt, quod Christiani imagines, ut Deos, adorent; anathema. Qui audent, Ecclesiam Catholicam, dicere, Idola aliquando suscepisse; anathema.

De præceptis cæremonialibus secundum se.

1. Cæremonalia præcepta illa proprie dicuntur, quæ ad exteriorem Dei cultum ornandum ordinantur.

2. Veteris legis cæremoniæ, nedum figurativæ erant futuræ veritatis in cælesti Patria manifestandæ, verum etiam Chisti, qui est via ducens ad illam Patriæ veritatem. Sapientissimo tamen consilio factum est, ut tanta mysteria sub figurarum velamine rudi populo traderentur.

3. Cum ex parte bonorum, tum ex parte malorum hominum, multiplices extare in veteri lege cæremonias oportebat.

4. Cæremonalia præcepta in quatuor recte species tribuuntur; Sacrificia, nempe, Sacra, et Observantias.

De Cæremonialium præceptorum causis.

1. Cæremonalia Mosaicæ legis præcepta ratione destituta, qui dixerit, ratione se destitutum probat.

2. Cæremoniarum rationes duplices generis sunt; litterales, et mysticæ, seu figurales.

3. Legalia omnia præter allegorias, et agendæ vitæ rudimenta clarissima, fuerunt ordinatissime præscripta, ut grassantem Idolatriæ superstitionem opportune compescerent, futurique Redemptoris adventum præfigurarent: atque illa vel ipsorum rituum ratio est, quos è gentium moribus in legem transcriptos nonnulli perperam, ac falso asserunt.

4. Sacrificia Israelitis non solum permisit, sed præcepit Deus; illa tamen non expetivit tamquam iis indigens, aut quasi per se grata ei, et iucunda forent, sed aliarum rerum causa, scilicet ad Idolatriam abolendam, ad Christi sacrificium adumbrandum, ad spiritualia sacrificia, quæ exigebat ab hominibus significanda.

5. Humanarum hostiarum sacrificia Judæis in usu fuisse, idque legis iuxta præscriptum, ex voto Jepthe, et Levit. cap. 27. v. 28. probare contendit Voltairius; verum nihil aliud, quam impietatem, et insipientiam probat suam.

6. De sacrificiorum materia, et uniuscuiusque litterali, typi-

ea , morali ratione ; de variis itidem eorum speciebus , ac ritibus, dicemus rogati.

7. Ad reverentiam singularem Deo , eiusque Sacris , ac Ministris conciliandam , latæ sunt leges cæremoniales Sacrorum.

8. Tabernaculum ex profana gentium Religione non duxit exordium; neque Arcæ fœderis origo à sacris Ethnicorum cistis est arcessenda ; nec illius Cherubin à Symbolis , et Simulachris Ægyptiis; sed ex Dei sapientia , et voluntate.

9. De Cherubinis Arcæ superpositis , deque eorum forma, multa disputant viri eruditæ. Illorum nos sententiæ tamqnam probabilitori adhæremus , qui simulachra fuisse multiformia asserunt , id est diversorum animalium species referentia , ita ut humana in iis forma emineret.

10. Sacramentorum veteris legis congruæ assignari rationes valent , tum litterales , prout ad Dei cultum ordinabantur , tum typicæ , quatenus Christum præfigurabant.

11. Circumcisionem neque Abrahamus suo consilio ad Ægyptiorum exemplum suscepit : neque tum ei , tum Israelitis ut illorum superstitionibus adictis præscripsit Deus : unde absque temeritate asseri non potest Circumcisionem ab Ægyptiis ad Hebræos pervenisse.

12. Observantiarum cæremonialium , quarnm aliæ solos Sacerdotes , aliæ populum universum spectabant , congruæ rationes assignari possunt , sive ex Divino cultu , cui speciatim consecratus erat populus Israeliticus , sive ex spiritualium rerum ad vitam Christianam pertinentium significatione repetitæ.

Schol. Mosaicæ legis cæremonias ab impiis hominibus sibili, et cachinis exceptas in tuto collocare , singularum congruentes rationes afferendo , opere præmium foret , atque ego sic animo constitueram. Sed quoniam id præfiniti nunc temporis angustia non patitur , in tanta autem segetum ubertate nec spicam unam colligere ægre ferat animus , idcirco ex iis , quæ Angelicus Doctor profunda, et immensa plane eruditione disserit , paucæ quædam perstringam. En illa.

13. Circumcisionis litterales rationes si expostules , tres tibi prætendentur : 1.^a et ea quidem potior , fidei unius Dei protestatio : 2.^a virium concupiscentiæ imminutio : tertia tandem Sacrorum Veneris , et Priapi sugillatio. Quod si de figurali sis ratione sollicitus , corruptionis per Christum ablationem portendebat.

14. Festorum apud Hebræos institutio non est ab Ethnicorum moribus derivanda : ea autem Populo suo celebranda Deus indixit , non solum ad Divina beneficia commemoranda , sed ut proclives ad Idola Judæos in officio contineret , utque à profanarum gentium superstitionibus (cum effræni licentia , et obscenitate , quibus se Deos promereri posse putabant , coniunctis) avocaret.

15. Præcepta de animalium discrimine , ciborumque delectu eo fine statuit Deus , ut Populi sui valetudini prospiceret , intemperantiam coerceret , quibusdam abstinentiæ rudimentis informaret , ab idolatria averteret , ut ipsum tandem gentem esse sanctam Deo-

que Sancto in peculium separatam , illa observantia indicaret.

16. Sexus utriusque apparatus ac vestitum confundi , et promiscue usurpari lex prohibuit , tam ut cultum Idololatricum eliminaret , quam ut publicæ honestati , pudorique consuleret , et occasiones libidinis removeret.

17. Vestem ex lana , et lino contextam Israelitis lex interdixit, tum quia illa utebantur ethnici in suorum numinum cultu , tum ut luxum , nimiumque corporis ornandi studium ab illis procul arceret , atque ut animi duplicitatem , adulterinas opiniones , ac hæreses quæ errorem cum veritate miscent , Deum aversari significaret.

18. Fimbriis hyacintinis in quatuor palliorum angulis uti, eo fine Judæis præscriptum , ut ipso habitu ab alienigenis discernerentur, utque Divinorum præceptorum memoriale ob oculos indesinenter gererent.

19. Philacteria Pharisæorum non erant Divinæ Institutionis, sed novellæ superstitionis fœtus , nec ea Moysis temporibus usitata fuere , sed post captivitatem demum Babyloniam usurpata.

20. Diversa semina in eodem agro coniunctim serendi prohibitionis , hæc potior fuit litteralis ratio, ut profanarum gentium elongaretur supersticio , quæ iu Cereris , et Bachi honorem iuxta semina inter vites , aut vitium ordines screbant , ut numinis utriusque interventu , proventum haberent uberiorem.

21. Animalium diversi generis sub eodem iugo coniunctio commixtioque fuit lege interdicta , in Ægyptiacæ Idololatriæ detestacionem ; ut flagitium omne contra naturam Israelitæ declinarent ; ut concupiscentiæ universaliter tolleretur occasio.

22. Observantiæ de ore bovi trituranti non alligando ; de avicula cum pullis non tenenda ; de hædo in lacte matris suæ non coquendo , (ut de allegorica hic ratione taceam) eo collimabant , ut veterum Gentilium magici ritus , vanissimæque superstitiones ab Israelitis longe abessent , atque illorum animos ad humanitatis , et misericordiæ affectus informarent.

COROLLARIUM.

Quas breviter huc ex D. Thoma corrivavimus cæremonialium præceptorum rationes luculentissime demonstrant , legales Hebræorum cæremonias , etiam quæ improbis incredulorum derisionibus magis patent , non esse vanas , arbitrarias Diviniqne ortus indignas; sed ut Divinæ Sapientiæ inventum , nihil habens incredibile , nihil absurdum accipiendas esse , utque magnum supremæ providentiæ argumentum.

De cæremonialium præceptorum duratione.

1. Ante legem veterem , quædam apud homines Deum colen-

tes in usū fuere cæremoniæ , non Divina auctoritate , sed hominum voluntate , ac privata devotione inductæ , ac determinatæ , quæ idcirco legales cæremoniæ non audiunt.

2. Tametsi legis veteris cærimoniam , carnis , non mentis immunditiam auferrent , adeoque vi non pollerent iustificandi ; illarum tamen exercitium Deo acceptum erat , et illarum observatione suam erga Christum fidem protestari homines poterant , iustificationemque sic , et salutem adipisci.

3. Lex vetus quoad cæremonialia præcepta , redemptione per Christum consummata complementum , et finem accepit ; adeo ut neminem postea ad sui observationem adstringeret.

4. Schol. Non eo sensu cæremonialia in morte Christi desissemus præcepta dicimus , ut non semper in veritate quam adumbrabant perfecta perseverent , sed in seipsis , prout erant futurorum umbræ. Unde , et vigent nunc etiam illa , non iam egena , infirma (ad Gal. 4.) carnalia , inutilia , imperfecta (Hebræo. 7.) sed per Christi passionem miro modo renovata , virtute ex alto confirmata , spirituali utilitate plena , vivificæ crucis ligno consummata.

5. Etsi iam inde à Christi morte , dessierint legalia , non illico tamen mortifera evasere , sed ad vitandum scandalum , et ne lex Moysis tamquam impia reiici videretur , licitum aliquando fuit veteres servare cæremonias.

6. Post Evangelii promulgationem legalia et mortua fuisse , et à nemine citra peccatum potuisse observari , concors theologorum sententia est. Verum quo præcise tempore cœperint esse mortifera deffinite pronuntiare vix audemus , sed neque possumus. Probabilius id ad Hierosolymitanæ cladis tempora referimus. Cessarunt igitur legalia , et quasi sepulta sunt una cum ruderibus Hierusalem , quam duce Tito Romani ferro flammaque vastarunt anno post Christi mortem 41.

7. De modo quo legalia observarint Apostoli celebris olim inter Hieronymum , et Augustinum exarsit controversia. A cuius nos partibus stemus sequens declaravit assertum.

8. Apostoli non observarunt legalia prudenti quadam simulatione , sed ex animo , et sincere , sicuti , et absque simulatione Paulus restitit Cephæ intempestive ipsa legalia usurpanti.

9. Cephas , cui Paulus in faciem restitit , quoniam reprehensibilis erat , non aliis à Petro fuit. Non tamen in fide errasse Petrum , se à Gentibus subtrahendo , animique inspecta intentione à culpa , saltem gravi excusandum , adversus Porfirium , Novatorumque phalanges defendimus.

De præceptis iudicialibus.

1. Judicialia veteris legis præcepta , duo importabant , et hominum ad invicem ordinationem , et ut vim obligandi haberent , non ex lege naturali , sed Divina institutione.

2. Judicialia præcepta instituta à Deo non sunt ad Christi my-

steria præfiguranda , sed ad disponendum statum populi Israelitici , qui ordinabatur ad Christum ; adeoque non per se primario , sed solum ex consequenti figuralia erant.

3. Mosaicæ legis iudicialia instituta , fuere in Christi morte eva-
cuata , non tamen eodem pacto ac cæremoniæ : unde citra pec-
catum poterit et nunc humanus legislator subditis suis servanda il-
la præscribere , dummodo non Judaica id intentione peragat.

4. Habita ratione quadruplicis præcipue ordinis , qui in unaqua-
libet Republica reperiri valet , Principum nempe in subditos , ho-
rum ad invicem , indigenarum ad extraneos , inter domesticas tan-
dem personas , quadrifariam distingui possunt politica seu iudicia-
lia veteris legis præcepta.

De Judicialium præceptorum ratione.

1. Reipublicæ Judaicæ forma lege veteri constituta optima fuit , prout populi ac temporis conditio ferebat ; regimen scilicet ex Monarchia , Aristocracia , et Democratia *bene mixtum*.

2. Quamvis Moises , Senioresque , atque post Moisis obitum , Josue , deinde Judices Rempublicam Israeliticam moderarentur ; cum tamen Deus summæ rerum præcesset , et non sacra modo , sed et civilia omnia ceu Rex politicus regeret , ideo Hebraici populi regimen nec Monarchicum proprie fuit ad Saulem usque , ne- que Aristocraticum , sed Theocracy.

3. Tametsi Regem Deus non dederit Israeliticis donec eorum adulta Respublica esset , ac felicis regiminis mutationem votis , et importunis petitionibns Populi novitatem amantis , et gentium moribus conformari volentis , quasi indignatus concesserit : de Regis tamen electione congruo tempore facienda , et conditionibus ab illo subeundis , providentissime statuit . Deut. cap. 17. ver. 14. 15. et seqq.

4. Præceptorum Judicialium populares , et concives ad invi-
cem spectantium , quædam iudicia , pœnasque statuunt , quædam
de possessionibus decernunt ; utraque convenienter in lege tra-
duntur.

5. Popularium cum extraneis congressus duplex esse potest , unus pacificus , hostilis alter ; et utriusque respectu sanctissima lex præ-
cepta dedit.

6. Combinatio triplex in societate domestica invenitur ; prima viri , et uxoris ; altera patris et filii ; tertia Domini , et servi:
horum omnium iura , et officia respectiva , iuste , sapienterque Mo-
saica fuere lege præscripta.

COROLLARIUM.

7. Eat nunc impiissimus post hominum memoriam Voltairius , et Judæorum legibus tamquam barbaris , absurdis , deviæ , agres-
stique solum genti peropportunis arroganter insultet . Omnes ete-

nim æqui rerum æstimatorum cum evoluto Mosaico codice Religio-
nis ibi offendint cærimonias sanctas prorsus , et immaculatas , ex
ipso naturæ fonte elicas morum præceptiones , politica tandem
statuta , quæ naturali æquitati consona cum sint , tum rei publicæ
undique promovendæ magnopere deserviunt ; fateantur necesse est,
Hebræorum legislationem , et Divinæ esse revelationis fœtum , et
supra omnia , quæ Græca illa , Romanaque sapientia , et docuit,
et sanxit , velut inter viburna cupressum eminere.

De Lege Dei Nova.

1. **L**ex nova , quæ et Evangelica , fidei , Novi Testamenti ,
gratiæ demum solet appellari , est potissimum gratia Dei per Spiritu-
m Sanctum in cordibus nostris diffusa. Secundario , præcepta con-
tinet ad illam , vel obtinendam , vel conservandam necessaria. Hinc
quoad potiorem sui partem non scripta , sed indita est ; quoad se-
cundariam scripto est aut verbo promulgata.

2. Si id species solummodo quod secundario lex nova continet ,
præcepta scilicet , lex nova non iustificat ; sin vero id etiam respe-
xeris , quod primario ei , et principaliter inest , gratiam nempe Spi-
ritus S. interius collatam , lex nova iustificare dicenda est.

3. Ex ipsa novæ legis indole atque natura congrua ratio desu-
mitur , cur dari hominibus à Mundi exordio non debuerit.

4. Adversus Montani , Manetis , et Mahumedanorum commen-
ta vanissima , tamquam fidei doctrina tenendum , novam legem
veluti undequaque perfectam , nullum ad usque sæculi cosumma-
tionem finem habituram , neque aliam ei unquam esse substi-
tuendam.

5. Lex nova non solum qualis ea nunc est ad usque Mundi
finem perdurabit , verum etiam quoad illud quod est in ea præci-
puum , æternum manebit in beatissimi perenni Dei gloria fruentibus.

De comparatione Legis Novæ ac Veterem.

1. **L**ex nova non est alia à veteri secundum speciei diversi-
tatem ; sed universa quæ inter utramque intercedunt discrimina sunt
penes imperfectum , et perfectum ; ut nova sit lex amoris , vetus
timoris , illa fidei , ista factorum , illa demum libertatis , ista fue-
rit servitutis.

2. Dupli modo lex nova veterem implevit ; primum , quatenus
finem quem vetus figurabat , nec consequi potis erat , iustifi-
cationem , nempe , nova exhibuit ; dein , quia novæ legis Auctor
Christus veteris præcepta servavit , veram illius intelligentiam ape-
ruit , quo pacto tutius observanda foret , ostendit , ac perfectio-
nis consilia superaddidit.

3. Sub veteri , lex nova continebatur tamquam in semine arbor,
vel sicuti plenum frumentum in spica.

4. Si externorum operum gravitatem difficultatemque consideres, lex vetus nova erat longe gravior: verum si ea in interioribus actibus perfectio spectetur, qua virtutum opera fiunt, præcepta novæ legis sunt veteris præceptis non amanti multo difficiliora.

De his, quæ continentur in Lege Nova.

1. Christus præter mandata, quæ actus internos dirigunt, præcepta tulit, quæ exteriora officia moderantur; ex his autem illa præcepit per quæ Spiritus S. gratia ex Christi institutione nobis infunditur; illa prohibuit, quæ pugnant cum interiori gratia, quæ in fide per dilectionem operante consistit: in reliquis quid prosequi, quid vitare expediat uniuscuiusque arbitrio reliquit determinandum.

2. In exterioribus virtutum operibus ordinandis alia non debuit Lex Evangelica, præcipiendo, aut vetando determinare, quam Sacra menta, et moralia præcepta.

3. Divinus ille sermo quem locutus est Dominus noster Jesus Christus in monte, complectitur quantum ad optimos mores attinet, perfectumque vitæ Christianæ modum.

4. Quæ Christus in monte documenta tradidit, præcipiendo declaravit, non consulendo monuit, adeoque non Religiosos dumtaxat viros, sed sœculares etiam obstringunt.

5. Apposite in nova lege fuere præceptis superaddita consilia: quæ ad tria capita commode reducuntur.

6. Præceptorum, consiliorumque discrimin ex eo capite repetendum, quod illa obligationem imponant, ista hominum arbitrio relinquuntur; de iis illa sint, quæ ad beatitudinis consecutionem necessario requiruntur; hæc vero de iis quibus facilius valet obtineri. Hinc Christianæ perfectionis essentia est in præceptis, non in consiliis reposita.

COROLLARIUM.

7. Evangelio nihil eorum deesse quæ ad veræ legis rationem prærequiruntur, ex dictis colligere pronum est. Merito igitur exitiassimus Protestantium error à Tridentina Synodo proscriptus est, qui, vel nihil in Evangelio præter fidem esse præceptum effutiere: vel hominem iustificatum non teneri ad observantiam mandatorum Dei: vel Christum à Deo fuisse datum hominibus, ut Redemptorem cui fidant, non etiam ut Legislatorem cui obedient.

*De his quæ in Evangelica Lege consuluntur***PRÆLOQUIUM.**

Ad consiliorum vocem tamquam ad ingentem blasphemiam hæreticorum aures perhorrescunt. Hinc in eos impotenti furore debachantur, qui Evangelica seuti consilia vitæ genus arctioris, ac sublimioris instituunt, quam aut lex Divina, vel humana præscribat, aut etiam multorum infirmitas patiatur. Ut Arianos, et Circumcelliones nunc præteream quorum in Monachos nefarios ausus, Chrisostomus, et Augustinus memoriæ prodiderunt, Lutherus tertio quoque verbo in omnibus scriptis suis Religiosum statum lacerat, ethnicum eum, carneum, ac veluti luteum prædicans. Calvinus, Cœnobia lupanaria, retia Satanæ, urbanissime appellat; Monachorum opera, et vota observationes fatuas, Pharisaias, Mahumedicas traditiones. Cæteros è Protestantico græge scriptores consulto prætero, q̄uid enim insanientem turbam in scenam inducam? Fere omnium ea vox est, Religiosos viros, ut hominum monstra, atque humanæ societatis inimicos execrandos, et exterminandos esse; ubique illos superstitionis, ubique impietatis accusant. Iam vero illi qui fastuosum Philosophorum nomen sibi arrogant, quid nostra memoria in Cœnobitas vel improbe dixerint, vel fecerint crudeliter non est opus commemorare, jutinam et nescire licuisset!

Verum, quid, obseero, hæreticos, falsique nominis Sapientes, in tam atrox, tamque implacabile bellum contra Religiosos impulerit? Quid nocuerunt? Quid rapuere? Sed cur miramur si filii tenebrarum lucem Religionis æquis haud valent oculis intueri; si desertores militiæ castra Sanctorum oderunt; si fugitivi, ac perfidi, stantes in acie commilitones suos exhorrent, si denique Principis tenebrarum, primique cœlestis militiæ transfugæ discipuli eius, ac filii opera imitentur? Nam omnes quidem Christianos Diabolus odit (S. Ant. apud Atan.) sed probos Monachos, Christique Virgines tolerare non potest. Neque enim eo solum hæreticorum conatus spectant, ut Regulares ordines dissident, de medio tollant, sed ut Ecclesiam totam hac ratione perturbent, eamque (si fieri possit) à fundamentis evertant. Intelligunt siquidem versuti homines, si contra Monachos causam obtinuerint, id se continuo effecturos, ut universa Ecclesia, quæ una voce, et consensu tot iam à sæculis Monasticen approbavit à veræ doctrinæ tramite quam longissime aberrasse videatur.

Quæ hactenus diximus eo collimant, ne quis nos privatam, propriamque orare causam existimet in iis, quæ modo discepta-

turi sumus : adeo enim illa cum Ecclesiæ causa confuncta est, ut nemo unquam huius fuerit hostis , qui non simul Monachis omnibus bellum indixerit. Age ergo , Monachomachorum omnium improbitatem sequentibus retundamus assertis.

1. Illi recte dicuntur consilia Evangelica profiteri , qui voluntaria paupertate , omnibus divitiis , castitate carnis oblectamentis, obedientia superbiæ vitæ omnino valedicunt.

2. Voluntaria paupertas possessione divitarum longe præcellit; et eam Christus utpote ad perfectionem Evangelicam spectantem omnibus consuluit.

Continentia et est coniugio multo præstantior , et ad comparandam perfectionem quam maxime dicit , et illius consilium habemus in Evangelica lege propositum.

3. Datur in Evangelica lege consilium obedientiæ , seu abnegationis propriæ voluntatis , illudque ii perfectissima ratione sequuntur , qui suæ voluntati omnino renuntiantes singularem quandam vitæ institutionem voent , sub alterius , aut aliorum imperio perpetuo servandam.

4. Obedientiæ consilium , quo quis sub alterius institutione votet suam vitam ducere , certamque vivendi rationem profitetur , in qua sese exerceat in operibus virtutum , præstantissimi meriti est, et duobus aliis consiliis præcellit , quibus vel res omnes exteriore abdicantur , vel perpetuæ continentiæ votum emititur.

5. Qui triplex istud modo memoratum voti genus solemni professione enuncupant , Religiosi dicuntur , et revera sunt.

6. Ex illorum existentia , nihil politica societas detrimenti capit , qui Evangelica consilia voti sibi religione impossita prosequantur.

7. Tum corporis , tum animæ , tum præsentis , tum futuræ vita communi bono conducit , esse in Republica sociates hominum , in quibus paupertas , continentia , obedientiaque voveantur.

8. Quæ nunc quoque sunt nobis in commune bonum utiliora , quæ sunt nimirum ad animi culturam comparata , facilius præstari possunt ab iis , qui ad prædicta servanda consilia irrevocabili se voto obstringunt , quam ab aliis.

9. Sanctitati Religionis Christianæ valde consentaneum est , illiusque bono promovendo apprime conduit , ut sint qui Evangelica illa consilia solemniter profiteantur.

10. Ad vota continentiæ , paupertatis , et obedientiæ nuncupanda , ea quidem ætas requiritur in qua perfectus sit liberi arbitrii usus ; ubi vero is adfuerit , in quacumque licet ætate illorum se religione obstringere : eam tamen ætatem ad publicam professionem etiam dicimus expetendam , quam leges Ecclesiæ præscribant.

11. Parentibus etiam invitis licet filiis ad Religionem transire , dummodo et ad annos pervenerint pubertatis , et parentes in ea non sint necessitate constituti , ut sine filiorum ope vivere haud valeant.

12. Religiosa vita non quarto demum sæculo exorta est ; sed

adeo antiqua ut ante diluvium quædam eius adumbratio fuerit : in lege Moysis maior expressio : Apostolicis tandem temporibus omnimoda explicatio.

13. Cœnobitarum disciplina non à casu , vel errore , vel prava Essenorum imitatione sumpsit exordium , ut heterodoxi scriptores deblaterant ; neque à climatum calore , ut auctor *spiritus legum* insipientissime garrit ; sed à vitæ purioris studio eius arcessenda origo est.

14. Quæ nunc viget in Ecclesia Monastica vita , eadem prorsus quoad essentiam est cum ea , quæ antiquissimis temporibus floruit.

De Lege Evangelica non scripta, seu de Traditionibus.

De Divina Traditione est hic nobis specialiter sermo ; quæ nihil est aliud , quam ipsummet Dei verbum , non illud quidem Scripto Divino consignatum , sed ab ipso Deo , primis suis Ministeris ore tenus declaratum ; tum subinde de ore in ore , et quasi per manus ad nos usque continuata serie deductum. Et quoniam illud Evangelicæ legis pars quædam , eaque nobilissima est , quam etiam hæretici inflammato studio labefactare , et funditus delere nituntur , idcirco ne quidquam eorum prætermittere videamus , quæ ad generalem de legibus disceptationem attinent , nonnullas hoc de arguento theses , huic nostræ qualicumque elucubrationi pro coronide adiicimus.

1. Ea potissimum fuit Apostolorum sollicitudo , ut Evangelica lex sua opera in hominum visceribus insculperetur ; non vero ut litterarum monumentis consignata remaneret. Hinc Christi Ecclesia , et Religio non scripto primum , sed traditione substitit.

2. Apostoli non omnia , quæ ad Christianorum doctrinam , et fidem pertinent litteris mandavere , sed partim scripto , partim etiam voce tradiderunt. Cur ita fecerint multiplices , eademque gravissimæ rationes extitere.

3. Ex huiuscemodi traditionibus certissima possunt argumenta elici , et ad Ecclesiæ consuetudines , et ad fidei dogmata comprobanda.

4. Traditionis tanta vis , et auctoritas , et amplitudo est , ut non modo ad revincendas hæreses plus quam Scriptura habeat roboris , sed omnis ferme cum hæreticis disputatio ad traditiones à maioribus acceptas tandem referenda sit.

5. Verum quonam pacto constare nobis poterit , hoc , illud ve dogma ab Apostolis esse traditum ? En apertas vias , quas quidem si institeris , Apostolicis traditionibus investigandis minime aberrabis.

6. Quod universa tenet Ecclesia , nec Conciliis institutum , sed

semper retentum est, nonnisi Apostolica auctoritate traditum rectissime creditur.

7. Si quod fidei dogma Patres ab initio secundum suorum temporum successionem eoncordissime tenuerunt, huiusque contrarium ut haereticum refutarunt, quod tamen ex Sacris litteris non habetur, id nimis per Apostolicam traditionem habet Ecclesia; estque revera fidei, quamvis illud instituto Ecclesia iudicio non definierit.

8. Si quicquam est nunc in Ecclesia communi tum Pastorum, tum fidelium consensione probatum, quod tamen humana potestas efficere non potuit, id ex Apostolorum traditione necessario derivatum est.

9. Si viri Ecclesiastici aliquam fidei doctrinam, vel unamquilibet morum regulam uno ore semper et ubique testati sint, ac testentur nos ab Apostolis accepisse, sine dubio certum argumentum est, ut ita esse credamus.

10. Romana Ecclesia certissima regula est ad dignoscendum, quid divinitus traditum habeamus; indeque, si in aliis Ecclesiis hac de re quæstio aliqua suboriatur, secundum Romanæ Ecclesiæ fidem illa finienda est.

O. S. C. S. R. E.

Vidit:

Fr. Rochus Badenes,

Mag. et Stud. Reg.

Vidit:

Fr. Ludovicus Navarro,

Sac. Theol. Mag.

Possunt prælo committi:

Ludovicus Exarque, G.

Imprimantur:

Villboa.

